

## T a b u l a 23.

*SISYRINCHIUM STRIATUM.*

GYNANDRIA MONOGYNIA.

CHAR. GEN. Monogyna. *Spatha* diphylla. *Petala*, sex, plana. *Capfula* triangularis, infera. *Stigmata* tria.

*SISYRINCHIUM striatum*: foliis ensiformibus, caule ancipiti ramofilimo multifloro, floribus spatham excedentibus. *Smith Icones pict.* II. 9.

*Locus natalis incertus. Ex Italia in Angliam missa ibi sub dio viget & abunde floret.*

*Radix* tuberofa, caespitosa, perennis.

*Caulis* bipedalis, erectus, anceps, glaber, ramofilimus, foliosus, multiflorus.

*Folia* ensiformia, acuta, integerrima, glaucescentia, glabra, margine membranacea.

*Flores* in capitulis terminalibus lateralibusque, numerosissimi sed ephemeri, fere inodori, pallide lutei, purpureo-striati, extus saturatiores, parum nutantes.

*Spathae* monophyllae, concavae, carinatae, acutae, nervosae, margine membranaceae.

*Pedicelli* longitudine fere spathae exterioris, triangulares, uniflori.

*Petala* obovata, obtusa cum mucrone, basi leviter connexa, intusque maculata, concaviuscula; limbo patentia; tria interiora paulo minora.

*Filamenta* corolla breviora, in tubum cylindricum, ultra medium, coalita, superne patentia, glabra. *Antherae* verfatiles parvae.

*Stigmata* emarginata. *Stylus* longitudine flaminum. *Germen*, inferum, fibrotundum, glabrum viride.

*Capfula* subrotundo-tricoeca, valvulis dorso carinatis.

Jure videtur cel. *Schreber* reduxisse *Sisyrynchii* genus integrum ad Monadelphiam triandriam.

Ramus magnitudine naturali.

- a. Petalum exterius & parte interna.
- b. Petalum interius.
- c. Germen cum genitalibus.
- d. Stamen cum Anthera.
- e. Stigma.